



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentarius Pavli Bernriedensis, Antiqui Scriptoris, De
Vita Gegorii VII. Pontif. Max.**

Paulus <Bernriedensis>

Ingolstadii, 1610

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Archiepiscopus, Episcopus,
Clericis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, omnibusque maioribus, atque
minoribus in Teutonico regno constitutis, exceptis his, qui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65381)

GREGORIVS EPISCOPVS SERV-
 VVS SERVORVM DEI, ARCHIEPISCO-
 pis, Episcopis, Clericis, Ducibus, Marchionibus, Co-
 mitibus, omnibusque maioribus, atque minoribus in
 Teutonico regno constitutis, exceptis his, qui Cano-
 nica excommunicatione tenentur, salutem, &
 Apostolicam benedictionem.

Exat Tomo 3.
 Decretal. edit.
 Romana. lib 3.
 registr. Epist.
 15. pag. 747.

NOTVM vobis fieri volumus, fratres
 charissimi, quod in ea synodo, quam nu-
 per Roma celebrauimus, inter multa alia, quae
 de statu sanctae Ecclesiae (DEO cooperante) per-
 egimus, de ruina, & confusione nobilissimi re-
 gni vestri diligenter tractantes: hoc salutiferum,
 & opportunum pro reparatione pacis vestrae
 fore putauimus, ut religiosi Legati Apostolicae
 Sedis ad partes vestras dirigantur, qui Ar-
 chiepiscopos, Episcopos, & religiosos (clericos,
 nec non Laicos ad id idoneos, in loco, qui v-
 triusque parti habilis, & congruus sit, conuenire
 commoneant, ut, aut pacem (DEO auxiliante)
 inter vos componant, aut cui parti iustitia
 faueat, veraciter addiscant. Nam in eadem
 Synodo definitum est, quod nos contra eam
 partem, quae pacem fastu superbia refutauerit,
 & cui iustitia non fauerit, omni conamine,

Q 2 om-

omnibusq^{ue} modis potestate beati Petri insurgamus.

Et quia nonnullos de regno vestro intelleximus magis iurgium, & discordiam, quam pacem diligere: ex parte omnipotentis DEI, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli interdici- mus, ut nullus sit, qui aliquo ingenio, aut studio, seu violentia impediatur praedictos viros ad restaurandam regni vestri concordiam, conuenire, aut conuenientes iustum, & legalem huic discordiae finem imponere.

Ad reprimenda etiam mala ingenia, & illicitos conatus, iudicio sancti Spiritus, & auctoritate Apostolicae Sedis anathematizamus, & anathematizamus, quicumq^{ue} siue Rex, siue Archiepiscopus, siue Episcopus, siue Dux, siue Marchio, siue alicuius dignitatis, vel ordinis persona sit, praesumpserit aliquo modo hanc salutiferam constitutionem perturbare, videlicet, qui operam dederit, ne praedictus conuentus fiat, aut concordia tanta perturbationis.

Adieci- mus etiam eidem anathemati, ut quicumque huius iniquitatis praesumptor fuerit,

rit,

rit, non solum in anima, sed etiam in corpore,
 Et in omnibus rebus suis vindictam omnipo-
 tentis DEI sentiat, Et in omni congressione
 belli nullas vires, nullumq; in vita sua trium-
 phum obtineat, sed duplici contritione prostra-
 tus semper vilescat, Et confundatur: ut sic sal-
 tem ad pœnitentiam redire addiscat.

Præsentium verò portitorem ad hoc vobis
 dirigimus, ut unà cum venerabili fratre no-
 stro * Treuerensi Archiepiscopo, qui Henrico
 fauet, Et altero, qui utilis Et religiosus ad hoc
 sit opus, Episcopus ex parte Rodulphi, locum,
 Et tempus prædicti conuentus statuant: qua-
 tenus Legati nostri, quos præfati sumus, secu-
 rius, Et certius ad vos venire, Et quæ omni-
 potenti DEO placeant, ipso auxiliante, vobi-
 biscum valeant perficere. Dat. Romæ VII.
 Idus Mart. Indictione prima.

* Vdo Treuir,
 Archiep.

GREGORIVS EPISCOPVS SER-
 VVS SERVORVM DEI, * VTONI TRE-
 uirensi Archiepiscopo salutem, & Apostoli-
 cam benedictionem.

* Vdoni, Rom.
 Edit.

QVANTA nobis sollicitudo, quantaq;
 tristitia sit de perturbatione, imò de dis-
 sidio

Q 3

sidio